De Scriptoribus Romanorum legendis imitandisque

Disquisitio,

quam,

Consent. Max. Vener. Consist. Eccl. Lund.

pro munere Rectoris obtinendo,

publice proponit

ELOF CEDERSCHJÖLD,

Philos. Magister, ad Scholam Ystadiensem munere Rectoris h. t. fungens,

Respondente

ANDERS J. SIMONSSON,

Scano,

in audit. majori die XXIX Aprilis 1840.

h. a. m. s.

P. II.

LUNDÆ,

typis excudit Carolus Fr. Berling,

Universitatis Typographus,

1840.

Contracts-Prosten

och Kyrkoherden i Södra Willie och Örsjö Församlingar,

Högärevördige och Höglärde Magister,

Herr CHRISTIAN ÖDMAN,

samt

Högvälborna Fru Prostinnan

FREDRICA WILHELMINA ÖDMAN,

född Friherrinna KAULBARS,

helgas dessa rader, som en ringa gärd af vördnad och erkänsla,

ödmjukast

af

Respondens.

Europæ. Ad eum velut ad communem scribendi magistrum plurimi puræ latinitatis studiosi se contulerunt, nec nisi pauci, ab illius scribendi genere abhorrentes, stilo laconico operam navarunt. Lecto itaque Cicerone omnes illius imitatores nullo negotio leguntur. Habent enim non modo singula verba cum eo communia, sed etiam verborum conjunctionem, numerum atque formam, habent similem partium et membrorum compositionem et idem fere vinciendæ orationis artificium, quo et res et verba ita nectuntur, ut alia ex aliis aptissime procedant, et tota oratio, quamvis libere et magnifice moveatur, eundem retineat tenorem et veluti cursum.

§. 3.

Si denique de modo, quo lectio et scriptio latinorum instituenda, quæratur, hic quoque ex diversis puerororum ingeniis, ætate et progressibus pendet. Generatim *methodus* illa *stataria*, ubi singula accuratissime exponuntur, adeoque tardius progreditur, ad scholam nobis pertinere videtur, in qua prima principia inculcanda; cum contra *methodus cursoria*, qua scriptor celerius percurritur, in Gymnasiis et præcipue in Academiis, ubi eruditi discipuli adsunt, locum omnino habeat. Per se patet, peritum magistrum cum ingenioso discipulo celerius, cum tardo tardius procedere debere. In utraque methodo, quæ commode, ut monet Scheller, sic conjungi posse videtur, ut in difficilioribus locis *stataria* utamur, in facilioribus et per se perspicuis *cursoria*, prudens magister tantum non minus in verbis, quam in rebus discipulis explicabit, quantum pro diversa indole capere possunt. Si præsto sunt discipuli tardioris ingenii, enucleet iis Magister scriptores solum grammatice et historice, si subtilioris judicii, etiam critice, et sollicite videat, ut discipuli, quæ traduntur, intelligant suisque verbis exprimere possint.

Cum vero latine scribere nondum plane obsoletum fuerit, sed multi præsertim in Lyceis et Academiis hac lingua utantur, interest quoque, ut adolescentes, qui olim scholis præesse aut munera academica ambire voluerint, latinum sibi forment stilum. Hoc vero effici non potest, nisi assidua legendi scribendique exercitatione, in qua plerique *auctorem classicum* sibi eligunt, quem potissimum imitentur. In hoc autem imitationis opere moderante magistro præcipue cavere debent, ne nimis fiant similes ei, quem effingere volunt. Nam imitari v. c. Ciceronem, non est idem quod Cicero scribere, sed ita, ut Cicero scripsisset, si eandem *materiam* tractare voluisset. Imitatio semper potius in ipso orationis habitu, forma et quasi spiritu, quam in verbis versari et vix sentiri, multo minus apparere et in propatulo esse debet. Fuerunt et forsan adhuc sunt, qui Ciceronem vel

Tacitum ita imitentur, ut verba illorum mordicus teneant, nec ungvem, ut aiunt, transversum ab iis discedere audeant, numquam, quod miserrimum, in scribendo sui, sed inepte semper alieni. Qui non ad ejusmodi *imitatorum servum pecus*, quos jure irridet Horatius, referri vult, discat ita imitari, ut quæ ab altero parta sint, a se inventa esse videantur, discat, quæ mutuata sunt, alia quadam ratione uti, ac ille, a quo ea sumsit. Meminerit, quamvis ambo in eadem cera elaborent, diversas ex illa formas, figuras et imagines fingi debere, et quamvis unum quasi corpus ornent atque decorent, illud tamen diversis indui posse vestimentis, diversoque vestiri habitu. Debent boni imitatores, sit venia similitudini Ciceronis, agere perinde ac periti fures, qui earum rerum, quas ceperunt, signa commutant. Ut enim illi, si cui pallium furantur, ne is id agnoscat, ex pallio sagum faciunt, sic qui aliorum sententias commutatis verbis enuntiant, quæ communia sunt, propria facere videntur. Scilicet hi tacite secum reputant præclarum hoc Vatis Germani dictum [3]): "Wer nur die Kunst versteht, verräth den Meister nicht." Debet doctus imitator, ut verba Schelleri mea faciam "sequi apum exempla, quæ e floribus succum ita sugunt, ut, etsi omnes homines sciunt, e floribus haustum illum esse, tamen nemo possit dicere, quantum ex hoc, vel illo flore eæ hauserint." Sic, Cicero ipse, Teste Quintiliano, cum se totum ad imitationem græcorum contulisset, effinxit vim Demosthenis, copiam Platonis, jucunditatem Isocratis. Sic Virgilius in Bucolicis Theocrito, in Georgicis Hesiodo, in Æneide Homero similis esse voluit. Sic Horatius Pindarum, Valerius Flaccus Apollonium, Livius Herodotum et Sallustius Thucydidem æmulatus, quin imo totum eruditum Latium, sive Oratores, sive Poëtas, sive Philosophos, sive Historicos respicias, multis non nisi erudita quædam *magna Græcia* esse videtur. Et si historiam poësis et eloquentiæ critice perlustraveris, vix oratorem aut poëtam invenies, qui non antecessores suos habuerit, quos ita imitatus est, quamvis contra reputando negari non possit, multos omnium fere gentium scriptorum locos imitationis aut plagii stigmate a Criticis inustos fuisse, qui ab utroque longe absunt. Cum enim ingenium in diversis hominibus diversum et tamen idem sit, quales vultus solent esse fratrum atque sororum, quid est, quod impediat, ne unus scriptor alterius res et sententias, imo elocutiones et verba sponte repetat, licet illa neque legerit neque audiverit umquam? In multos Senecæ philosophi locos incurrimus, qui Christianismum redolent, licet parum credibile videatur, eum commercium literarium cum Apostolo Paulo habuisse aut Sacrum Codicem umquam vidisse. Et Odini atque Salomonis Sapientia in multis miri-

---

[3]) Vid. Göthe.

fice consentit, ut ex illius Havamal et hujus proverbiis cernere licet, quamquam vix suspicari fas est, septemtrionalem illum Sapientem aliquid ab Orientali Rege bausisse. Sed hæc amplius exponere et exemplis illustrare a proposito nostro omnino alienum est.

Nostra potius refert monere, ne studiosi soloecismos, barbarismos et alia latinorum scriptorum vitia, quibus elocutio incommoda et imperfecta redditur, imitando assequantur. Caveat sibi quisque ab ea opinione, ut omnia absoluta sint, adeoque imitatione digna, quæ in scriptoribus classicis inveniuntur. Legentes ipsum Ciceronem in plures locos incurrimus, qui et minus politi sunt, et propter errores vel in verbis eorumque, constructione, vel in sententiis, vel denique in syllabis et literis observandi quidem, non vero imitandi. Quis magister v. c. ad imitationem discipulo proponere vellet hanc Ciceronis periodum, quæ neque perspicuitate, neque apta membrorum divisione se commendat, sed tractu potius et longitudine fastidium movet? "Quos tum ut pueri, refutare domesticis testibus, patre, et C. Aculeone, propinqvo nostro, et L. Cicerone, patruo, solebamus, qvod de Crasso pater, et Aculeo, qvocum erat nosta matertera, qvem Crassus dilexit ex omnibus plurimum; et patruus, qvi cum Antonio in Ciliciam profectus una decesserat, multa nobis de ejus studio, doctrinaqve sæpe narravit: cumqve nos cum consobrinis nostris, Aculeonis filiis, et ea disceremus, qvæ Crasso placerent, et ab his doctoribus, qvibus ille uteretur, erudiremur, etiam illud sæpe intelleximus (cum essemus ejusmodi; qvod vel pueri sentire poteramus) illum et Græce sic loqvi, nullam ut nosse aliam lingvam videretur, et doctoribus nostris ea ponere in percunctando, eaqve ipsum omni in sermone tractare, ut nihil esse ei novum, nihil inauditum videretur &c. [4]). — — — Quis non hæsitaret, cum eodem verba facere de *molibus molestiarum* [5]). Quis non libenter ejusmodi abundantiam evitaret, qualis in hac periodo obvenit:" Qvid ergo *hoc* fieri turpius aut dici potest, quam eum, qui hanc personam susceperit, ut amicorum controversias causasque tueatur, laborantibus succurrat, ægris medeatur, afflictos excitet, hunc, in minimis tenuissimisque rebus ita labi, ut aliis miserandus, aliis irridendus esse videatur? [6]). Cui denique non displiceret talis ejusdem literæ concursus nimius, qualis in nuper allato exemplo vel in hoc: "*Quod quia quemadmodum* natura efficere sine aliqua mente possit, non videtis; ut tragici poëtæ, cum expli-

---

[4]) Cicero De Oratore Lib. II. Cap. 1.
[5]) Ejusd. De Orat. Lib. 1 Cap. 1.
[6]) Ejusd. De Orat. Lib 1. Cap. 3.

care argumenti exitum non possunt, confugitis ad Deum [7])? quam ejusdem literæ assiduitatem Cicero castigat hoc versiculo: "O Tite, tute, Tati, tibi tanta tyranne tulisti," vel alio: "Quidquam quisquam cuiquam quod conveniat, neget [8])." Si quas ipse præscripserat et commendaverat regulas ne Tullius quidem noster ubique observaret, sed passim ejusmodi minus aptas elocutiones in scripta sua irrepere sineret, quid mirum in reliquis latinitatis scriptoribus multa contineri, quæ, nisi a magistro indicentur et improbentur, tironem a regia latinitatis via facile abducere possint? Sic Livius incipit Historias suas dimidia et quæ excurrit parte versus heroici: "*Facturusne operæ pretium sim.*" Sic apud eundem T. Quintius durum admittit pleonasmum: "Cum plenus lacrimarum, ad suos versus, me quoque, inquit, milites si quis usus mei est, meliorem pacis, quam belli habetis ducem. Non enim illa modo Volscus aut Samnis, sed Romanus verba fecit: vester Consul, vester Imperator, milites: cujus auspicia pro vobis experti *nolite* adversus vos *velle* experiri [9])." Quales superfluas repetitiones et pleonasmos decies, imo centies non solum apud Livium, sed apud ipsum Ciceronem invenies. Sic, Nepotem quoque, Sallustium, Cæsarem aliosque aurei sæculi scriptores non semper regulis stili bene latini obtemperare notum est. Sed plura exempla hujus monetæ afferre vetat brevitatis ratio. Qui ea cernere et diligentius examinare disideraverit, adeat Vechnerum, Schellerum aliosque Criticos, sed imprimis ipsos scriptores eorumque optime notos commentatores, in quorum promtuariis non deerit supellex. At ubi multa nitent, nemo nisi Zoilus quidam paucis offendi solet maculis. Quis justus æstimator non ab his libenter oculos avertit et circumspicit præclaros Classicorum locos, qui vel propter dictionis proprietatem et elegantiam, vel propter sententiarum vim gravitatemque, vel denique, ut exempla magnanimitatis et virtutis exstant et eminent? Talia sunt quæ de Crassi morte divinitus narrantur [10]); tale certamen Horatiorum et Curiatiorum [11]), talis Variana clades in saltu Teutoburgensi [12]), talis calamitas Catilinaria [13]), talis Oratio Legati Schytarum natu maximi ad Alexandrum Magnum [14]), talia Euryali atque

---

[7]) Ejusd. de Nat. Deorum Lib. 1. Cap. 20

[8]) Ad Herenn. Lib. IV Cap. XII.

[9]) Lib. VII Cap. 40.

[10]) Cic. de Or. initio Lib. III.

[11]) Liv. Lib. I. Cap. 24, 25.

[12]) Taciti Annal. Lib. I. Cap. 61.

[13]) Sallustius in fine belli Catilinarii.

[14]) Curtius Lib. VII, Cap. VIII.

Nisi facinora et fata [15]), talis transitus Cæsaris super Rubiconis undas [16]), talis ad lugentem matrem consolatio Herculis in Deorum collegium recepti [17]), tales fabulæ de Phaëtonte [18]), atque de Pyramo et Thisbe [19]), tales mille alii insignes Classicorum loci, unde exempla naturæ, artis, vitæ morumque capi possunt. In hos intueri debet *doctus imitator*, hinc *vivas ducere voces* [20]). Et si moderante bono præceptore hoc veterum magisterio utatur puer præclaræ indolis, erit scriptor, non quales multos habemus, jejunus et exsanguis, expers suavitatis, expers gratiæ, omni eloquentiæ apparatu destitutus, quem ne legere qvidem sustineat quisquam, sed erit, qui incredibili dulcedine lectorem perfundat, atque suo veluti instinctu afflatum secum abripiat, erit, qui simul doceat et delectet, simul moveat et percellat, qui hominum actiones, mores, studia, affectus, omnes vitæ rationes, omnes virtutum atque officiorum locos quasi tabula pictos oculis subjiciat, atque imitatione et fabula, numerorum dulcedine et imaginum varietate lectoris animum capiat, et ad omnem honestatem vel inscium, vel invitum deducat, verbo; erit:

"Qui qvid sit pulchrum, quid turpe, quid utile, quid non
Plenius ac melius Chrysippo et Crantore dicit."

Horatius.

---

15) Virgilii Æneis Lib. IX v. 176—450.
16) Lucanus Lib. I vers 183 et seqq.
17) Seneca, Hercules Oetæus in fine Act. V.
18) Ovidii Metamorph, Lib. II. v. 1 et seqq.
19) Ejusd. Lib. IV v. 55 et seqq.
20) Confr. Horatii Artem poët.